

CONSIDERATIO XIII.

De Benignitate DEI.

Hæc relucet 1. ex familiari ejusdem cum hominibus conversatione. 2. Suavi gubernatione. 3. Liberali remuneratione.

P. 1. *Hæc relucet ex familiari Dei cum hominibus conversatione.* Quid inter homines frequentius, quam ut sui, tuorumque natalium obliuiscantur? Vix aliquis ad statum eminentiorem elevatur aut e vulgo emergens, nobilitatis insignibus decoratum se videt; cum alios inferioris fortunæ, aut conditionis infra se despicit, suo vix dignatur alloquio, aut si forte cum iis loquitur, quasi pro imperio, & cum potestate loquitur; in omnes, & in omnibus sibi authoritatem arrogans, nec plerumque cum aliis, quam sui similibus conversans. O quam longe aliter nobiscum agit Deus; Licet enim excellentia, Majestate, ac dignitate totam naturam infinite transcendat, cum tamen natura sua benignissimus sit, totusque in amorem ac benevolentiam propendat, suæ quodammodo Majestatis ac excellentiæ, juris pariter ac domini

supremi, quod habet in omnes creaturas, ob-
 liviscitur; ac deposita veluti autoritate ac
 magnitudine sua ad infimam etiam conditionis
 hominem se ultro dimittit, cum eo amice con-
 versatur, illi sua arcana confidit, per internas
 inspirationes ei loquitur, vicissimque ejus al-
 loquium promptissima voluntate admittit; ejus
 preces & vota patientissime audit, inop-
 tentem solatur, docet ignorantem, illumi-
 nat cæcutientem, timentem excitat, & ad
 fiduciam erigit, milleque modis se in cor ejus
 insinuat. Sit licet pauperculus, & centonibus
 male tectus, sit deformis & membris mutilus,
 sit lepra scabieque infectus, sit usque adeo
 peccator & publicanus, infinita tamen ejus
 bonitas neminem spernit aut respuit, nemi-
 nem perhorrescit, aut a throno gratiæ suæ re-
 pellit; quin adeo omnes sine personarum dis-
 crimine, & cum primis miseros ad se huma-
 nissime invitat. *Venite ad me omnes qui labo-
 ratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*
 Math. II. Sed nec his contentus benignissimus
 Deus, usque adeo inter delicias suas reputat,
 nobiscum conversari: *Delicia mea esse cum
 filiis hominum.* Prov. 8. cœu in hoc cum ho-
 minibus commercio sua gaudia, ac consola-
 tionem inveniret. Imo non recusat spirituale

connubium cum anima nostra, eam sibi ipse-
 met desponsans: *Desponsabo te mihi in sempi-
 ternum.* Os. 2. familiarissimamque illi secum
 conversationem indulgens, ut dicere confi-
 denter audeat: *Osculetur me osculo oris sui.*
 Cant. 1. Eandem pariter ob causam voluit, ut
 patris nomine se compellaremus; manifeste
 ostendens, quod nos minime reputet ut mer-
 cenarios & servos, sed ut amantissimos filios;
 quos paterno suo sinu complectitur, & fovet,
 ac veluti in manibus descriptos habet. Et
 quomodo non filii, quos vere adoptavit,
 voluitque *conformes fieri imaginis Filii sui?*
 ad Rom. 8. Quin & ultra progreditur incre-
 dibilis ejus benignitas, dum Is. c. 43. testatur,
 citius futurum, ut mater (quarum tamen amor
 in filios tenerrimus est) obliviscatur filii uteri
 sui, quam ipse obliviscatur nostri; plus scili-
 cet quam paternum aut maternum in nos con-
 testans affectum. O benignitas Dei mei! Quo
 devenisti? Quantum te abjecisti, dum cum
 miseris homuncionibus, velut unus ex ipsis,
 tam familiariter agis, tam amice conversaris,
 iis usque adeo blandiris, prensans eorum ami-
 citiam; quosque ut mancipia jure tractare
 posses, filiorum loco habes, iisque omnia
 filiorum jura ac prerogativas concedis? An
 quid-

quidquam intentatum reliquisti Deus meus !
 ut amorem meum tibi conciliares , dum tuam
 usque adeo majestatem mei causa quodam-
 modo deposuisti ; ut eo liberiores facilio-
 remque ad te haberem accessum ; quin imo in-
 ter familiares , amicos , imo & filios me
 adoptasti ? Quam longe mitiora ac suaviora
 consilia tua , quam filiorum hominum ? No-
 lebat olim Sara , Gen. 21. Ut , Ismael , filius
 ancillæ ; hæres esset cum filio suo Isaac , filio
 liberæ : sed tu mi Deus ! naturam meam ser-
 vilem parem fecisti filio tuo unigenito ; me
 heredem una constituendo , & in partem
 omnis felicitatis ipsius vocando . Tam pro-
 fufam benignitatem tuam quo obsequio de-
 mereri unquam poterò ? Si inter mercenarios
 tuos me cooptasses , nunquid abunde fuisset
 mihi filio prodigo ? Sed id non sufficiebat
 amori , ac paternæ clementiæ tuæ ; filium esse
 voluisti , cum non mererer nomen servi . & c.

P. 2. *Ex suavi ejus gubernatione.* Si Deus
 auctoritate sua , dominioque absoluto , quod
 habet in res omnes creatas , in hominem uti
 voluisset , quanto severiore lege castigatissimos
 ab eo mores , quantam vitæ austeritatem ,
 quam rigidam sensuum omnium moderatio-
 nem ac continentiam , quæ pietatis exercitia

exigere non potuisset? Nonne dominus & animæ, & corporis, & omnium facultatum ac potentiarum nostrarum? Quid non exigunt a nobis Principes terreni, etsi natura nobis æquales? Qualem auctoritatem non exercent in subditos; quorum fortunas sibi veditigales faciunt, quorumque sudore ac labore factum, ac vanitates suas alunt? Nonne nova indies opera ac tributa illis imponunt, novas durissimasque leges ipsis dicunt, ad curas & vigilias eos damnant, in numeris etiam vitæ periculis eos exponunt; ut non raro servitus gravissima censeri debeat, eorum subesse imperiis? At vero quanta suavitate regit nos Deus? omnia nostra ipsius sub sunt potestati; quin tamen re ulla nos defraudet, sed potius omnia nobis donet, quæ possidemus, seu temporalia, seu spiritualia. Summum ejus in nos ac despoticum dominium est; quin tamen despotice eo utatur, ne in minimo nostram aut minuens, aut lædens libertatem, sed e contrario liberam nobis in omnibus dispositionem relinquens. Rex noster est, cum plenissima in nos jurisdictione, & absoluta potentia; & tamen in iis, quæ imperat, nostræ se accommodat naturæ, nostris viribus, nostræ imbecillitati; congruentissima
simul

simul media nobis suppeditans, ut & possimus, & velimus, quod ipse a nobis exigit. Judex noster est, vitæque ac mortis arbiter; quanta nihilominus patientia expectat, priusquam feriat; quot blanditias admiscet minis, ne feriat; & si tandem ferire cogatur, nonne corripit ut pater, dyscolum filium percutiens, ut ad sanam mentem revoet? Cogita populum Israeliticum Divinæ non minus bonitatis, quam deinde severitatis exemplum. Quam diuurna patientia usus est Deus in ferendo hoc populo voluntati suæ semper rebellis, omnemque obedientiam refractarie detrectante? Quot præcessere monita per Moysen inculcata, & tantum non preces, quot interpositæ minæ, quam stupenda ipsis sæpissime ostensa omnipotentia Divinæ prodigia; ut identidem obnitentes flecterentur ad obedientiam: cumque frustrarent semper omnia Dei consilia; quoties nihilominus illis denuo placatus, immemor veluti præteritorum, præstina illis exhibuit benevolentia suæ argumenta: ut vel inde clare appareret, in omnibus benignitatem Divinam primum obtinere locum, semperque faciem ejus præcedere, imo & ipsas usque adeo pœnas, quas ejusdem justitia, vel invita, infligere cogitur. O quam

vere dixit Sapiens. c. 1. Quod cum magna re-
 verentia disponat nos! Non enim tantum be-
 nigne ac paterne nobiscum agit; sed veluti
 venerans imaginem sui in nobis expressam,
 etiam cum reverentia quadam nos regit; non
 attendens, quid possit vi absoluti sui in nos
 dominii, quidque authoritas, quid justitia,
 quid diuturna conniventia merito postula-
 rent, sed quid deceat fieri imagini, Divinita-
 tem suam tam vivis coloribus adumbranti.
 Manifestum hujus veritatis exemplum nobis
 ostendit in Beatissima Virgine: licet enim
 sciret Deus, illius voluntatem suæ Divinæ per-
 omnia, & in omnibus esse conformem; in-
 superque ad dignitatem matris (omnium in-
 ter puras creaturas sublimissimam) eam ele-
 vare vellent, noluit tamen ea inconsulta, nec
 diserte consentiente, magnum illud incarna-
 tionis mysterium perficere; Spiritu sancto
 non ante sacratissimam hanc Virginem obum-
 brante, quam ipsa Divino annuens benepla-
 cito, Angelo renunciasset; *Ecce ancilla Do-
 mini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc.
 1. Ah quam suaviter, quantaque benignitate
 agit nobiscum Deus, non omnipotentia sua,
 non jure, non authoritate suprema utens,
 quibus, nobis etiam invitis, facile evincere
 posset,

posset, quidquid veller; sed paterno plane affectu, suavissimaque providentia nos gubernans, mollibusque ac lenissimis viis nos inducens ad conspirandum cum sanctissima sua voluntate? O si & ego, ut genuinum filium deces, me regi a te sinerem, Deus meus! tuæ benevolentiae, tuo amori ac suavi providentiae me totum permittens! at quid harmoniam, mutuamque voluntatum nostrarum concordiam turbat, nisi inordinatus amor, quo me ipsum diligo? Durum mihi est abnegare me ipsum, totumque pendere a tuo arbitrio; cum tamen voluntas mea recta esse non possit, nisi conformetur tuæ, quæ prima regula est omnis recti & honesti. O si cognoscerem felicitatem hominis, plenissime Deo consentientis! Nonne hæc ipsissima vita est Beatorum & Angelorum? &c.

P. 3. *Ex liberali remuneratione.* Non sistit hic benignitas Dei? Uicuique amabiliter nos tractet in hac vita, multo majora tamen, magisque manifesta nobis præbebit benignitatis suæ argumenta in altera, nempe in cælo; ubi in nos effundere vult totam plenitudinem bonitatis, omnem abundantiam charitatis, omnesque thesauros suæ liberalitatis. Ubi nobis ostendet amplitudinem regni sui, thro-

num Divinitatis suæ, majestatem gloriæ suæ, immensitatem beatitudinis ac divitiarum suarum. Hac in vita manifestum quidem se nobis fecit, sed sub velamine, & quasi in ænigmate; at tunc remoto sipario introducet nos in sancta sanctorum, ad inspicienda Sanctissimæ Trinitatis Mysteria, & profundissimam abyssum judiciorum suorum: simulque nobis aperiet theatrum immensum omnium Divinarum perfectionum suarum, infinita arcana complectentium. In eo videbimus incomparabilem ejus pulchritudinem, quam facie ad faciem intuebimur: inexhaustam potentiam, in qua infinitas rerum possibilium species contemplantur; abyssum bonitatis supremæ, in quam incredibilem cum dulcedine toti immergemur. Ibi replebit intellectum nostrum plenitudine lucis suæ, voluntatem abundantia amoris sui, memoriam recordatione omnium bonorum suorum, sensus omnes ac potentias, totamque animam & corpus immensitate dulcedinis suæ, & gustu suavissimo voluptatis. Ah Deus meus! *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Job. 7. Unde nihilum promerebitur tantam gratiam, tantumque honorem, ut consors fiat gloriæ tuæ?

Qua

Qua ratione dignum se reddet ea sublimitate, ut velut alter Deus eandem tecum participet felicitatem? Quæ ejus merita, quæ ejus in te obsequia, tanto præmio aut digna, aut æqualia? Quis tibi titulus esse possit tam profuturam illi charitatem exhibendi? Ah anima mea! non est, cur titulum aliquem quæras in te, tuisque meritis; qui Deum, non dico obliget, sed jure moveat ad remunerationem tantam, omnes veluti limites excedentem, tuisque obsequiis prorsus inæqualem? In Deo quæras necesse est, quod in te invenire nulla ratione poteris: cum enim obligare se nobis non posset titulo justitiæ, quod nihil nobis, nos vero ipsi omnia deberemus; nec merita nostra, quantum est de se, talia essent, ut proportionem haberent cum præmio, omni ex parte infinito, quo ea coronat; imo infinitis titulis ipsi deberentur, (ira ut cum fecerimus omnia, quæ possumus, juxta monitum Christi fateri cogamur: *Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17. ut titulum haberet supra meritum & condignum nos præmiandi, novo charitatis invento, ultro promissit nobis præmium æternum; ut scilicet titulo promissionis, & fidelitatis se ipsum obligaret ad præstandum,

quod alia ratione ne perere quidem sine re-
 meritate, minus exigere potuissemus. Cum-
 que nec hac ratione meritis nostris quidquam
 accederet, condignum ineffabili præmio,
 quo illa remunerari liberalissime decreverat;
 gratia sua sanctificante, infinitisque meritis
 Christi nobis applicatis, dignitatem, illis con-
 ciliare, eaque ad statum eminentiorem ele-
 vare voluit; ut, quod meritis nostris dees-
 set, hac amplissima accessione compensare-
 tur. Vere incomprehensibilis benignitas,
 omnia excogitans media, ad supplendum,
 quod deest infirmitati nostræ ex se nihil ha-
 benti, quod affinitatem aut proportionem
 habeat, cum bono infinito, quod præpara-
 vit diligentibus se! O quam verum est, quod
 nihil perdat, qui Deo aliquid donat; imo
 quanto pereditatur, qui domino sceneratur!
 Nihilne vicissim anima mea dabis Deo, in te
 tam liberali, tamque benefico; ut & se, &
 secum omnia tibi donare velit in omnem
 æternitatem? Nega, quod voles, Deo, si
 plus dare possit, quam semetipsum, ut te fe-
 licissimum reddat. At si dare plus non possit,
 quam se totum, quid tu minus, quam te to-
 tum illi reddere potes? Maxime cum te do-
 nando, nihil dare possis, quam quod vilis-
 simum:

simum: ipse vero se donando, det quod optimum, quod maximum, quod pretiosissimum. Ah mi Deus posside me totum, tuus enim sum totus & quidem infinitis titulis! Cuinam melius subesse possum, quam tibi, qui solus me beatum reddere potes? Meus equidem sum tua liberali voluntate, quod libertatem mihi donaris, me relinquens in manu arbitrii mei; at utcunque meus sim, me tamen felicem reddere nequeo, nisi per te, & nisi totus tuus sim. Tibi ergo me reddo, a quo omnia habeo. Tuus esse cupio in vita, in morte, in aeternitate. &c.

CONSIDERATIO XIV.

De Magnitudine DEI.

Excedit illa 1. Omnem comparationem 2. Omnem dimensionem. 3. Omnem comprehensionem.

P. 1. *EX*cedit illa omnem comparationem.

Magni sibi videntur, magnique non raro cognomen sibi assumunt Principes, quod integra regna suo contineant imperio, numerosos alant exercitus, potentia, opibus, gloria florent. Sed quid hæc omnia? Quæ ista magnitudo, cum ex subditorum con-